

tutes allicit, ad bene agendum in cunctis instigat, ad juste vivendum Deo et hominibus inflamat, sicut mayorum exempla sanctorum, que juste vivendi normam proscribunt et sancte conversationis firmant propositum. Ffacile siquidem princeps, dum suorum predecessorum animadvertit pacienciam, quorundam miratur munificenciam, erga Dei cultum incredibilem huic evo liberalitatem conspicit, et in fascibus positorum tam profundam humilitatem agnoscit, justiciam quoque eciam in suis aularibus deprehendit, dum eciam eorum sollicitudo in amministrandis rebus secundis rei publice tanta ornatur prudentia, et eorum fortitudo semper invicta tanta preconisatur in cunctis modestia, quid aliud in mente magnanimi agitur, nisi ut talibus se parificari studiosius cupiendo inflammetur, ut saltem usque tepidus se ad fortia accingat et preeuntibus se secundus non esse contendat. Testatur hoc idem vere prophetancium auctoritas. Testis et adest Salustius in suo contra Catilinam in fine: 'Sepe', inquam, 'audivi maximum Publium Scipionem, preterea preclaros nostre civitatis viros solitos ita dicere: cum mayorum ymages intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutes accendi, scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adequaverit'. Numquid igitur ab re, celestes senatores suorum successorum suis exemplis laude dignis amplius inflammant animos ad virtutes; ita ut cum eisdem nulla prosperitate inflentur, nulla adversitate turbentur, non innitantur propriis viribus, neque cor eorum recedat a Domino. Inde fiat, ut regnorum fastigiis humili presideant animo. Et tamquam reddituri rationem cuncta pycula pellant et inflammantes cupiditates a se prorsus abscindant, misericorditer condonent quod ex potestate extorquere poterant a subditis, aut juste vindicent in alios forefacta. Sic Asverus, dum annales coram se legi faceret, et in hiis noctem insompnem duceret, et fidelem vite sue custodem Mardocheum infulis in gratiis<sup>1)</sup> terrarum extulit, et insidiatorem humilium Aman dignas suis machinationibus penas exolvere fecit. Et quia juxta philosophi sententiam opposita juxta se posita magis elucescunt, dignum arbitratus sum eciam aliorum monarcharum fama notorum ortus et occasus texere, sciens, quia tua regia mayestas variorum negotiorum gravatus sarcina, crebro verbum Dei audire aut in voluminibus nequit agenda et obmittenda lectitare. Ideo ad tue celsitudinis eruditionem hoc presens directorium ex probatissimis olim a me transcursis historiis pedestri stilo censui conscribere, tue in hoc obtemperrae cupiens jussioni. Exordiens itaque presens in duos libros secare volui directorium, quorum primus

1) ingrātiis c.